

DISPUTATIO XII.

De

INTELLIGEN-
DI POTENTIA, ET ANI-
MÆ IMMORTALITATE,

Cujus theses

T. D. F.


Præside

TOBIA TANDLERO, TORGENSI,
Phil. & Medic. Doctore:

Disputandi gratia propositas,

*Mense Novembri, loco & tempore consuetis,
respondendo propugnabit*

MICHAEL CELLARIUS,
Rothagensis, Francus.



UITEBERGÆ
Typis Gronenbergianis.
Anno M. D. C. I.

Physiol.

315,52.

Physiol. XII. 8.

Amplissimis, prudentia, vitæ in-
tegritate, rerumque usu præstantissimis

V I R I S,

Dnn. C O S S: & reliquis laudatissima Rotha-
gensium Reipublica Senatoribus
dignissimis:

Nec non

Reverendo & Clarissimo

V I R O,

Dn. M. HEINRICO SCHVUNCKIO,
Ecclesie apud Rothagenses Pastori fidelissimo.

Præclaro item & doctissimo Viro,

Dn. IOHANNI HOFMANN O,
ibidem poligrapho.

Dominis Mecœnatibus, Promotoribus,
ac amicis suis, debito subjectionis cultu
& pietatis studio, devotè colendis:

*Themata hæc in gratæ observantiæ
testimonium, offert dicatque.*

Michaël Cellarius, Rothagensis,
Respondens.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

DE INTELLECTIVA POTENTIA, ET ANI- MAE IMMORTALITATE.



Ognoscendi modum duplicem pro-
bant Philosophi; alium, qui bene-
ficio sensuum, brutis quoque con-
cessus, singularia dijudicat: alium,
qui per intellectum universalia in-
vestigat. Ut de priori hucusque dictum; ita de
posteriori quoque, nimirum intellectu, qui ratio-
cinandi principium & summa animæ vis est, uni
donata homini, specialius nunc quoque deter-
minandum, ut nobilissimas naturæ nostræ dotes
& actiones altiùs expendamus, felicemque dis-
sertationibus nostris coronidem imponamus.

THESIS I.

Intelligendi facultas individua quidem & simplicis
est essentia: gratia tamen operationum dispesci solet in
Intellectum & voluntatem. Zabar. I.
d. fac. an.
cap. 13.

II.

INTELLECTVS naturâ prior voluntate, nobi-
liorque tam ratione præstantioris & simplicioris objecti,
quàm ratione finis. Mover enim dirigitque voluntatem:
Ideoque priori loco cognoscendus. Scalig ex-
erc. 307.
d. 26.
Seidel. d.
an. com.
p. 798.

III.

Ante omnia verò notandum, quòd intellectus hoc
in loco non designet νοήματα seu mentis cogitata; neque Fab. I. 8.
cap. 5.

A ij

ἐνέγχαρ

Velcur. 1. ἐνέγγασιν seu Intellectionem; neque δαῖσιον, seu habitum
4. Phys. c. 19. 31. intellectivum: sed primariam animæ δυνάμιν, quæ Græcis
νῦξ καὶ λόγος, Galeno ἡγεμονικόν; Latinis mens appellatur.
De qua præsens est institutum.

IV.

Hanc definire licet potentiam, qua homo intelligi-
bilia & imprimis universalia percipit, dijudicat, & inter-
noscit.

V.

Unicus autem, quoad essentiam, intellectus, varias
fortitur species, respectu functionum. Ita simplex quidam
est, quidam compositus.

VI.

Scal. ex-
erc. 307.
dist. 2.

Simplex, qui νῦξ propriè vocatur & simplicia seu in-
complexa tantum agnoscit, ut Achillem, leonem.

VII.

Riolan. d.
fac. an.
com. c. 11.

Hic nunquam allucinatur, sed ἀπλῶς ἢ νοεῖ, ἢ ἀγνοεῖ, sive
esse vel non esse cognoscit.

VIII.

Compositus verò, δεινότατος dictus, circa notitiam com-
plexam versatur, inter se plurima comparando, invicem ve
distinguendo, ut Vlysssem esse astutum: animi non fortis,
Ajacem.

IX.

Arist. 1. 3.
d. an. t.
16. 17. 19.

Simplicis vicissim intellectus divisio est in Agentem
& patientem.

X.

Agens, ποιητικὸς, philosopho nunc ars, nunc habitus,
nunc lumen indigitatur, ἀναλογικῶς, propter officium,
quod intellectui patienti confert.

Est

X I.

Est enim illa animæ facultas, materiæ expers, & à corpore separabilis, quæ intelligibilia ἀύλωσ̄ contemplatur, indéque nova comminiscitur.

X II.

Cujus officia duo sunt: primum, χωρίζεσ̄, hoc est, à phantasmatis sensibilibus, intelligibilia segregare; alterum, φωτίζεσ̄, h. e., species immaterialiter in patiente intellectu receptas, ita collustrare, ut quæ prius δωάμεσ̄, nunc ἐνεργείᾱ fiant νοητά̄. Velcur. l. 4. Phys. cap. 19.

X III.

Quare agens intellectus æquè se habet, ac efficiens causa, quæ speciem intelligibilem excogitando producit: aut veluti lumen colores, quos opacum disparere facit, illuminat, ut videri queant. Arist. l. 3. d. an. t. 18.

X IV.

Patiens, Græcè παθηκός̄ ὄν̄ς dictus, Latinè patibilis, passibilis vel passivus intellectus (Barbaris possibilis, malè) quòd phantasmata νοητά̄ recipiendo, patiatur: aliàs ὄν̄ς δωάμεσ̄, quòd non tam sit actus, quàm potentia intelligendi.

X V.

Quamvis idem aliquando ὄν̄ς ἔξεσ̄ vocetur, siquidem notitijs quibusdam est informatus: iisque si utitur, ἐνεργείᾱ, seu intellectus in actu, quod de secundo operationis actu accipiendum.

X VI.

Patiens igitur intellectus vis animæ est, quæ puras rerum imagines ab intellectu agente inventas, sibi que creditas excipit, inter se confert, atque conservat.

X VII.

Est enim, quasi materia, subjectum, aut instrumen-

A iij

tum,

tum, in quo species adinventæ hærent & continentur.

XVII.

Actiones hujus per se, quatenus in potentia consideratur, nullæ sunt: at, quatenus in actu, tribus insignitur officiis, quæ sunt; Simplicium apprehensio; Compositio & divisio: ac Discursus.

XIX.

Simplicium apprehensio, vulgò conceptus sive notitia simplex, est vis, quâ species rerum omnes absque complexione intelligimus, ut quid rosa, quid aquila.

XX.

Compositio & divisio, ex simplicium rerum conjunctione vel distractione notitia complexa est, quâ mediante vel τὸ ἀλωθὲς vel τὸ τεῦθ manifestatur.

XXI.

Scali. exerc. 307. t. 2.

Discursus, λογισμὸς, ratio, vel ratiocinatio est, quæ argumentando ab uno ad aliud discutit, & ex uno plura colligit, aut pro tutela veritatis, aut discussione falsitatis, ut: si ignis adest, urit: non omne candidum, frigidum. Obstat enim *malx*, allium, &c.

XXII.

Zabar. 1. de mente agente cap. 2.

Patiens itaque intellectus dicitur omnia fieri, omniumque rerum idola suscipere, & primariò intelligere.

XXIII.

Tolet. 1. 3. de an. qu. 9.

Idem quoque nulli corporis parti affixus est, sed inorganicus, & à materiæ mole liber: neque læditur à vehementiore cognoscibili, neque etiam corpore per senium labefactato, ut sensus.

XXIV.

Corruptioni tamen post corporis dissolutionem subjacet:

iii A.

jacet; quoniam cum sensu participat. Omne verò compositum æternitatis expers est.

XXV.

Cæterum passivi intellectus differentia est, quatenus in actu, cum diversis militat objectis. Vnde fit alter Theoreticus, alter Practicus.

XXVI.

θεωρητικὸς seu speculativus ille nominatur, qui circa necessaria tantum versatur, amore veritatis, ut in scientiis, Mathematica, Metaphysica.

XXVII.

πρακτικὸς, qui rerum agendarum causa deliberat, ac boni prosecutionem, fugamve mali suadet.

XXVIII.

Practico insuper intellectui connumerant Scholastici tria alia genera: quorum duo potius habitus, quam potentia sunt, ut σωτήρησις & ratio: tertium verò magis actus, ut Conscientia. Thom. T. I. qu. 79. art. 12. 13.

XXIX.

σωτήρησις circa bonum universale, ex lumine natura cognitum: Ratio circa bonum particulare versatur, ut Iosepho synteresis fuit: Adulterium esse fugiendum: Ratio; Potipharis uxori, illegitima petenti, renitendum. Velur. I. 4. Phys. c. 27. 28.

XXX.

Conscientia est actualis applicatio notitiæ vel rationis ad singulare πρακτικόν, ut illud adulteri Davidis: P E C.

CAVI.

XXXI.

Objectum Intellectus est omne πάντασµα νοητόν, seu intelligibile: sive sit ἀπλωές ὄν, omnis materiei ignarum, ut Metaphysicum corpus: sive ὁ ἀφουρέσειω ὄν, ut Mathematicum

A iiij

ticum

ticum, sine materia, cui tamen connexum est, acceptum :
sive ἐκ προορίσεως ὀρ, ut naturale, cuius essentiam cum ma-
teria inquirunt Physici.

XXXII.

Modus intelligendi talis est: Imaginatio sensus &
Intellectus μεσότης est. Ex phantasmate enim sensibili for-
mat intelligibile: cuius receptrix est mens patibilis: rece-
ptum autem illuminat mens agens, ut ἀσωμάτως intelliga-
tur. Ex utriusque conspiratione fit νόσις actu, illaque ἐνεί-
γλα, quæ tam simplicia percipit, quàm conjuncta discretá-
ve, imò quoque seipsam intelligit.

XXXIII.

Intellectui VOLUNTAS copulata est: non ta-
men necessariò. ἀλόγως enim sæpius hæc agit, & per se ra-
tionis expers est: tametsi interdum animi dictamen au-
scultet. De voluntate itaque nunc etiam separatim.

XXXIV.

Denotat hæc modò potentiam, modò actum volen-
di, modò ipsum volitum. Prioris significati híc fiet æsti-
matio.

XXXV.

Cujus hæc est finitio: Voluntas est potentia ratio-
nalis animæ, appetens summa, liberè moveri apta, ut, quod
intellectus cognovit, bonum prosequatur, aut malum
devitet.

XXXVI.

Liberum aliàs nuncupatur arbitrium & facultas ele-
ctiva seu eligens, quòd inter duo vel plura opposita di-
stinguat eligátque: nil fatalem morata necessitatem aut
coactionem.

Adiones

Vel cur. l.
4. Phys.
cap. 35.

XXXVII.

Actiones voluntatis præcipuæ sunt Velle & Nolle. V-
trumque complectitur προαίρεσις, βόλυσις ἢ βόλησις.

XXXVIII.

προαίρεσις seu Electio, propositum est mentis cum ra-
tione & cogitatione, de rebus actu existentibus.

XXXIX.

βόλυσις seu deliberatio rerum est incertarum, & quæ
adhuc in potentia sunt.

XL.

βόλησις seu volitio (ut barbarè, sed distinctè dici po-
test) est ipse actus adipiscendi bonum, vel malum decli-
nandi.

XLI.

Inter velle autem & nolle quidam ponunt medium,
quod est actionis suspensio, à quibuscunque fiat causis.

XLII.

Objectum voluntatis est τὸ ἀγαθόν, bonum finitum,
sive sit ἀληθές, sive φαινόμενον. Malum enim voluntas nun-
quam appetit, nisi propter majus commodum, vel quate-
nus phantasia, spe boni decepta, malum æmulatur.

XLIII.

Immortalitatem denique humanæ animæ compro-
bant essentia ejus cognita, nec non Philosophiæ & Theo-
logiæ sanioris fundamenta.

XLIV.

Essentia Animæ nostræ, quæ ἀμιγής, ἀφθαρτή, αὐτοτε-
λής, αὐτοκίνητος, ἀδιάσειστος, καὶ αἰδήσιμος; invisibilis & Deo si-
milima; ἀθανασία firmissimè demonstrat.

Arist. I. 3.

de an. t. 3.

4. 6. 7. &

seq.

Plato I. 10.

de rep. &

Vnde in Phæd.

A. V.

XLV.

Cicer l. 1.
Tusc. qu.
Tolet l. 3.
de an. qu.
16.
Riol. de
fac. an.
pag. 107.

Vnde sapientes quoque, perpensis ejus operationibus, cum sine corporeis organis immaterialia, individua, universalia & æterna, quin etiam seipsam cognoscat, futuræque & infinita desideret; ejus immortalitatem seculis omnibus crediderunt.

XLVI.

Quibus omnibus acclamat divina veritas, justorum animas in manu Dei repositas, impiis que pœnas restare, & mortuorum resuscitationem clarè professa: cujus assertores imprimis decet esse Christianos, ut mundanis & caducis posthabitis, ad cœlestia & sempiterna contendamus.

QVÆSTIONES.

- I. *An anima nostra Philosophorum summo sit immortalis credita? Aff.*
- II. *An intellectus agens, quo de nobis sermo, sit Deus, ut Zabarella visum? Neg.*
- III. *An Intellectiva detur memoria? Neg.*

τῷ θεῷ δοξα.

Errata typographica in his disputationibus sic emendanda.

- Disput. I. th. 11. à protoplasta, l. protoplasti.*
Disput. III. th. 20. dealbatus, l. dealbata.
Disput. 6. th. 25. principalis, l. principales.
Disput. VIII. th. 15. recti, l. obliqui.
Disput. IX. th. 23. post dictionem Oculi, deleatur colon: & adde, noctus & felium. th. 34. Oppositum, l. oppositum.
Disput. XI. th. 4. imperrit, l. impertit. th. 8. hoc est, l. hic est: th. 40. κινηκὸν, l. κινητικὸν.

ORNATISS. AC DOCTISS. DN
Respondenti, MICHAELI CELLARIO,
Franco, amico optimo.

L Atret barbaries : insentia grunniat : Is, qui
Per campos Sopiæ sincera, & amœna vireta
Impiger ingreditur, nebulæque à mente repulsâ
Virtutis vera, sanæ sapientia, & artis
Nil nisi querentis se semper amore tenetur ;
Immo etiam rigido Rhadamanto iudice, propter
Quid non tergeminis tollendus honoribus esset ?
Horum etiam in numerum meritò ruis, optime amice,
Dum vigili cura tempe Philosophica lustras,
Intendisque animum studiis & rebus honestis.
Maacte novis animis : sic itur ad ardua cæli :
Sic patria quimus, sic nobis vivere cari.
Perge modo : studiis sic impallescere sacris
Perge : Feres hederæ victricis præmia quondam.

Ioannes Temnius, Goslariensis,
Saxo, faciebam.

ALIVD.

DVM sic insequeris sacratæ castra Minervæ ;
Haud lapis exiguum, verùm sublimia tentas.
Perge modò studiis & ad umbram lucis ab ortu
Invigilare tuis, quin argumenta laboris
Prodere : sic album doctorum augebis : & olim
Grata superveniet messis, fructusque : quod opto.

Conradus Bertramus, Helmæstadianus.





**Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden**

<http://digital.slub-dresden.de/ppn324191618/12>